

magnificentiam atque pacem ab Augusto instauratam. Metu liberatus poeta, qui timuerat ne rempublicam, tamquam navem male portum occupantem, in mare novi civilium dissensionum fluctus submergendam referrent, felicitate nova ab Augusto instaurata vehementer exhilaratur. Musarum sacerdos carmina non prius audita virginibus puerisque cantat, scelerum ignaris, libidinum bellorumque civilium inexpertis neque aut avaritia, aut civium sanguine tactis; ergo iuventutis suboles, pravam rerum cupidinem eiusque matrem luxuriam et ambitionem spernat, tamquam malorum causam. Inde ex contraria parte angustam pauperiem secundo in carmine optabiliorem laudat; ex hac virtus nascitur; haec vitam trepidis in rebus agit; haec intaminatis fulgens honoribus negatam ad caelum inter deos viam temptat atque sternit:

III. Carm. 1.

Dulce et decorum est pro patria mori:

Mors et fugacem persequitur virum

Nec parcat imbellis iuventae

Poplitibus timidove tergo.

III. Carm. 2.
13-16.

Augusti vero virtutem, propter quam immortale aevum post mortem cum Aenea in deorum sede cum assecuturum divinat, carmine in tertio maximis prosequitur laudibus; eius imaginem alcaicis hendecasyllabis aureo plectro sonantibus, virtute atque iustitia praestantem quasi in marmore expressit: rigidiorem certo ad verum, at iusto robustiorem. Poetarum laudem lyricorum neque plenam se, neque undique cumulatam assequi posse ratus est, nisi, nugis amatoris iocisque dimissis, excelsioribus rebus elatioribusque operam dedisset. Pindari exemplum, Tirtaei, Solonis, Theognidis, ceterorum poetarum Graecorum secutus, qui civiles militaresque virtutes poeticis laudibus multifariam ornaverant, ingens portentum Daedaleum quasi, quod prae oculis habebat, imperium Romanum, sibi praedicandum assumpsit. Maiorum virtute ad perennitatem conformatum, poeta alter, sui suppar,

III. Carm. 3.

Virgilius, nascentem cecinerat; Horatius Octaviani sapientia regendum civiumque virtutibus firmandum servandumque, carminibus sex, quae in communem usum Romana appellamus, commendat. Unus idemque istorum carminum sonus, idem animus, qui e versibus spirat, eadem res, Urbs aeternitati fati destinata, ut populorum communitatem consociatorum pace, religione, iure, artibus Octaviani beneficio, quasi numinis cuiusdam consilio, regat atque corroboret. Musicos bonos Horatius imitatus est, qui cum concentus invenerint, numeris, vocibus, modis variant et novant, quo varietate quadam ex sonorum intervallis aures grätius permulceant atque blandiantur. In quarto pacis artes et iura et litteras Romanis suadet, quibus terrarum orbis domitores humanitatem gentes populosque armis subactos doceant. Hac de causa pie Camenas precatur, ut Caesari, prudentiam, humanitatem ad gentes aequitate et iustitia regendas necessarias concedant. In quinto carmine, cum Augustum arma parantem conspiciat, ut Britannis et Persis bellum inferat, illum in pacato terrarum orbe divum futurum praesagit :

III. Carm. 4.

*Caelo tonantem credidimus Iovem
Regnare : praesens divus habebitur
Augustus adiectis Britannis
Imperio gravibusque Persis.*

III. Carm. 5.

1-4.

Milites profecturos duplici modo ad virtutem impellit et concitat. Crassi milites enim, qui Persis per ignaviam se dediderunt, turpissimam servitutem servientes depingit, quibus Regulum opponit in senatu pacis condiciones respuentem fortissimeque ad supplicia redeuntem. In sexto deorum pietatem instaurandam esse demonstrat. Pietate enim corrupta, mores dilabuntur, civitatesque corruunt. Huc carmen saeculare etiam spectat, quod Augusti iussu composuit, ut in auspiciis rerum novarum ac pro incolumitate populi et reipublicae a pueris lectis puellisque caneretur saecularibus

in ludis anno septingentesimo trigesimo septimo celebratis.
Pium quid vetera Saliorum carmina redolens spirat e versibus:

*Phoebe silvarumque potens Diana,
Lucidum caeli decus, o colendi
Semper et culti, date quae precamur
Tempore sacro,*

*Quo Sibyllini monuere versus
Virgines lectas puerosque castos,
Dis, quibus septem placuere colles,
Dicere carmen.*

*Alme Sol, curru nitido diem qui
Promis et celas aliusque et idem
Nasceris, possis nihil urbe Roma
Visere maius!*

Carm. saecul. I. 12.

CLXXXII. In his profecto carminibus mirifica orationis ars et perpolitior inest, quā ceteris in concinnandis usus est, et mentis afflatus ille deprehenditur, quo poetae maximo ardore quodam divinitus dato concitari videntur. A nullo Romanorum poeta imagines arcessendi artificio Horatius superatur; nullus in versibus condendis perpoliendisque eundem limae laborem adhibet; nullus, praeter Virgilium, ita novis distinguit, ita variis frequentat, ita res vividioribus coloribus pingit et illustrat. Quibus accedit, ut ad Alcaeum, ad Sappho, si res domesticas canit, ad Pindarum si publicas, proxime accedat. Hinc Quintiliani iudicio «*lyricorum Horatius fere solus legi dignus*» minime assentior — severior enim mihi in Horatium fuisse videtur — tametsi haec statim adiciat: «*nam et insurgit aliquando, et plenus est iucunditatis et gratiae, et varius verbis et figuris felicissime audax*». Habemus mehercule quae in eo miremur, non simplicitatem modo, inquam, et quasi linguae sanitatem, sed praeter alias virtutes, elegantiam, venustatem, versuum varietatem, atque maximorum interdum poetarum granditatem. Quam

*Quint. X.
Inst. I. 16.*

equidem miror non fuisse a Quintiliano perspectam, qui in suo libro Romanos cum Graecis aequare summopere nititur, cum eadem et a veteribus aliis et a recentioribus criticis valde probetur, et ob eam lyricae poesis palma Horatio assignetur.

Epistolae

CLXXXIII. Ab iis carminibus ad genus illud extremo vitae spatio revertit poeta, quod iuvenis natura et ingenio ut proprium coluerat, nimirum ad epistulas conscribendas totum se iterum contulit. Verum inter satiras et epistulas, aliquid interest: in his enim praecepta sive ad mores sive ad litteras spectant, ita autem a poeta traduntur, ut doceat potius homines quam rideat, ex quo liquet eum per epistulas ad genus illud magis accessisse, quod didascalicum dicimus. Eas homines ad singulos inscribit, vel ut suas proprias familiariter remittit, ac si cum iis unis loquatur. Duobus libris «*Epistolae*» continentur, quorum in altero viginti, in altero duae, quae tamen sunt illis valde longiores. In earum numero est, ita tamen ut in neutro contineatur libro, solaque per se stet una, epistula «*De arte poetica*» quam L. Pisoni et filiis inscriptam misit. L. Piso hic impurus, flagitiosus, nequam homo ille fuit, in quem, ut supra diximus, multis verborum et sententiarum aculeis notissima oratione invectus est Cicero. Rem vero poeticam nec integram pertractavit Horatius, nec omnia praecepta quae de hac facultate tradi possunt exposuit; sed, nullo quasi ordine praestituto, quaedam satis scite a se ipso usu magis inventa quam ex aliorum libris conquisita enucleavit. Nihilominus etiam multum apud recentem patrum memoriam vel in primis probatur, cuius praecepta tamquam definitae artis poeticae leges a rhetoribus tradebantur, quae una rectam carminum scribendorum rationem indicarent. Quod si haec patrum nostrorum sententia paulo nimium redundans videatur, ostendit tamen quanto in honore apud ipsos Horatius fuerit. In epistulis aliis praecepta de bene beateque vivendo

impertitur, vel de quaestionibus ad recte scribendi rationem spectantibus agit. A criticis doctissimis vero, qui nunc sunt, ut in omnibus carminibus Horatius et sermonis elegantia et versuum concinnitate et novitate probabilis in primis habetur, ita, cum satiras et epistulas condit, is poeta existimatur, ut a nullo superetur. Catullum enim in lyricis carminibus fundendis aut vincit aut aequat, in didascalicis Virgilio Lucretioque, poetarum Latinorum ex aequo in hoc genere principibus aemulatur. His itaque laudibus libertini hominis filius in litteraria omnium populorum republica magnum sibi nomen immortaleque adeptus est.

CN. CORNELIUS GALLUS.

CLXXXIV. Augusti aetate elegi, quos a Graeco poeta Callino inventos esse memoriae proditum est, Romam aliquot ante annos inventi, maturitatem assecuti sunt. Carmen hoc, ex alternis versibus hexametris et pentametris constans, fuit initio flebile et miserabile, ut nomen idem, quod cadit a Graeco verbo « ἐλέειν » indicat, siquidem qui illud ad tibias concinere soliti erant, aliquo modo flere videbantur; postea vero in rebus laetis, levioribus tamen, adhiberi coeptum est, pedetentim deinde etiam deductum est ad significandos lascivos amores. De huius carminis usu — genera omnia pedetemptim invasit — haec scite scribit Horatius :

*Versibus impariter iunctis querimonia primum
Post etiam inclusa est voti sententia compos.*

*Horat. ad
Pison. 75-76.*

Ex Latinis igitur poetis, qui vel elegis tantum, vel iis praesertim, in carminibus suis usi sunt, unde a grammaticis « *elegiaci* » appellantur, omnes aetate Cn. Cornelius Gallus Foroiulensis antevertit, qui anno sexcentesimo octogesimo quinto post conditam Romam humili loco in Gallia Narbo-

nensi ortus est. Poesi cum adulescens operam dedisset poetas Graecos Callimachum et Euphorionem est imitatus, hunc autem in Latinum sermonem transtulit. Hanc ob causam ipse et poetae etiam qui eum secuti sunt, cantores Euphorionis a Cicerone in Tusculanarum libro tertio appellantur. Virgilio aequalis et condiscipulus fuit, idemque et Asinii Pollionis familiaris et mature etiam Augusto carissimus. Pro eo enim cum in postremo civili bello contra Antonium stetisset, tantum sibi victoris favorem comparavit, ut Aegypti praefecturam, statim ac in provinciam primum redacta est, ab illo obtinuerit eamque tres annos rexerit. Hac gratia, qua apud Augustum multum valebat, cum huius iussu agrorum largitio facta est, ab eo facile impetravit ut Virgilius suos reciperet. Quo animo grato ob tantam benevolentiam eum persecutus esset Virgilius iam suo loco diximus. Quadragesimum tertium vitae annum agens se interfecit, qua quidem de causa haud certo constat. Cum rem alii aliter referant, Ammianum Marcellinum auctorem potissimum sequar, qui haec nos docet. *Cum procurator Aegypti multorum opes interceptisset, et datus esset nobilitati inspectandus ab imperatore, ut ea cognosceret populatae provinciae, negocium, tum eum ferro incubuisse* ». Haec eadem fere et Dion tradit, qui eum addit accusatum a Valerio collega et damnatum a Senatu, quod insolentius se in administranda provincia gessisset arroganterque iussisset, statuas sibi tota Aegypto poni nomenque suum in ipsis pyramidibus inscribi. Donatus vero et Servius referunt eum in suspicionem coniurationis contra Augustum venisse; Ovidius denique aliud crimen adumbrat, videlicet liberiore eum in convivio usum esse sermone in Augustum; in Tristibus enim de eo haec scribit :

Ovid. III.

Art. Am.

537; I.

Am. 15. 30.

Nec fuit opprobrio celebrasse Lycorida Gallo

Sed linguam nimio non tenuisse mero.

Amorum libros quattuor composuit, in quibus Cytheridem

mimam quandam Volumnii libertam celebravit; quam in elegis suis, mutato nomine, Lycoridem appellavit. Duriorem poetam in elocutionis genere fuisse Quintilianus notat. Eius elegorum ad memoriam nostram fragmentum pervenit; sub eius nomine tamen iamdiu integra carmina circumferebantur quae translaticia esse ostendunt et stilus ipse et tempus. Sermo enim neque sincerus est neque purus et versus leges temporum excedunt; poeta praeterea se senem exhibet, cum illum tres quadraginta annos natum mortuum esse constet. Haec igitur carmina cuidam nugatori Maximiano nomine addicuntur hodie, qui ea dedita opera edidit, ut per iocum legentium deciperet fidem.

Quint. X.
Inst. 1. 93.

ALBIUS TIBULLUS

CLXXXV. Cum verborum nitore, tum perenni quodam animi dolore, tum versibus ipsis et numerosis et concinnis, unanimi criticorum consensu in elegis condendis palmam tulit Albius Tibullus, qui parentibus ex equestri ordine circa annum septingentesimum post conditam Urbem Romae natus est. In agrorum divisione, quae Caesare Augusto iubente ad milites veteranos facta est, amplissimis paternis rebus atque praediis privatus ad paupertatem et inopiam fere redactus est. Attamen Valerii Messalae Corvini favore non ita multo post habuit unde uteretur, deinceps ab eodem iterum et satis dives factus, ut ab Horatio multis cumularetur laudationibus quod divitiis uti sciret.

Tib. I. Eleg. I.
19. et seqq.
IV. I. 182.
et. vegg.

*Non tu corpus eras sine pectore. Dî tibi formam,
Dî tibi divitias dederunt artemque fruendi.*

Horat. I.
Epist. 4. 6-7.

A Messala rogatus, ut secum in bellum contra Antonium iret, nulla spoliarum spe adductus, tranquillitatis studio abnuvit; attamen eundem efflagitantem postero anno in Aequi-

tanium comitatus est, posteaque cum eodem ad Phaeaces, populos Corcyraeos, navigavit in Asiam inde iter facturus. Ex Coreyra tamen, cum in media navigatione in morbum incidisset, valetudini serviens in Italiam solus revertit. Praestanti forma ingenioque facili, egregiis eius aetatis poetis Horatio, Ovidio, Virgilio, iucundissimus fuit; infirma tamen atque aegra valetudine afflictus, virenti etiam tum aetate ab amicisque desideratus eodem anno, quo Virgilius obiit, e vita migravit. Hoc ex Domitii Marsi epigrammate colligimus:

*Te quoque Vergilio comitem non aequa, Tibulle,
Mors iuvenem campos misit ad Elysios
Ne foret, aut elegis molles qui fleret amores,
Aut caneret forti regia bella pede.*

Eius immaturum obitum Ovidius notissimo epicaedio amare deflevit:

*Memnona si Mater, mater ploravit Achillem
Et tangunt magnas tristia fata deas,
Flebilis indignos, Elegeia, solve capillos.
A, nimis ex vero nunc tibi nomen erit!
Ille tui vates operis, tua fama Tibullus
Ardet in exstructo, corpus inane, rogo.*

I Am. 2. 1-6.

CLXXXVI. Mollis et tener natura Deliam in primis Tibullus eximia forma puellam mente animoque adamavit, quae proprio nomine, ut refert Apuleius, Plania vocabatur. Huic etiam tum adulescens gratos amoris sensus primum commotos dicavit eosque tristi quadam doloris suavitate delinitos lectissimis verbis in elegis suis insculpsit. In deliciis ergo cum Deliam prae ceteris unam habeat, casti amoris gaudia et rerum copiam et divitias, tamquam gratissima munera, ab ea accipere gaudet cum eaque et aetatis florem communicare et eodem cum ea frui vitae lumine exsultat. Hoc autem teneri contentus amore nec divitias nec fulvum aurum

*Elegi in
Deliam*

*I. Eleg. 1. 2. 3.
5. 6.*

*I. Eleg. 1.;
69; 5. 21-34.*

gestit, martiaque classica et bella detestata fugit, sepositisque odiis, iris, curis blandum carpit amorem. Hominibus divitiarum honorumque cupidis maledicit, qui, aris focusque relictis, vel arma horrenda in hostes inferunt, vel peregre, morte imminente, ignota maria lustrant. At non id Tibullum iuvat: honoribus enim divitiisque despectis, nihil potius habet, quam ut Deliam casto rubore suffusam beatus intueatur, in eiusque vultu, si opus sit, vultum serenet suum. Hinc fit ut si procul ab ea sit, gravi poena fastidioque incredibili teneatur reditumque sibimet in mente ita cogitando citiorem effingat, ac si revera mox contingere queat. Spirat ex hoc desiderio suavitatis nescio quid in versibus, qui in tertio carmine primi libri inveniuntur.

I. Eleg. 2.
67-68.

I. Eleg. 5.
19-17.

*Tunc veniam subito, nec quisquam nuntiet ante,
Sed videar caelo missus adesse tibi.
Tunc mihi, qualis eris, longos turbata capillos,
Obvia nudato, Delia, curre pede.
Hoc precor, hunc illum nobis Aurora nitentem
Luciferum roseis candida portet equis.*

I. Eleg. 3.
89-94.

In elegis quibusdam iucundus hic et suavis gratusque in Deliam amor cum mortis dolore et cogitatione coniungitur vel potius commiscetur:

*Flebis et arsuro positum me, Delia, lecto
Tristibus et lacrimis oscula mixta dabis.*

Non rapacem mortem horret aut pavet, dummodo Deliam deficiente moriens manu teneat eamque prope se flentem spectet, et post obitum, corpore consumptum ipsum, myrtea corona caput cinctum, Venus in Elysios campos adducat. Haec aliaque similia, quae in primo libro carminum continentur, ad res illas et commenticias et poetice fictas referuntur, ut a poetarum quodam eorum, qui vulgari Italorum sermone « *romantici* » dicuntur, scripta patrum nostrorum

*Animi leni-
tas atque
mollities*

*Elegi in
Nemesin*

memoria videantur potius, quam ab equite Romano ementita, qui Augusti aetate floruerit. Intercisa autem hac perfecta amoris forma — quibus vero de causis haud satis constat — in conviviorum delicias delapsus ac lascivos amores, puellam alteram, Nemesin nomine, ita amavit ac si in sordidis libidinibus medicamentum quoddam quaereret, quod mederetur. In quattuor ex carminibus, quae in secundo libro continentur, puella Nemesin haec celebratur. Nomen hoc, ut patet, fictum poetice ex Graeca voce est, quae deam ultricem significat, ac si novo amore ruptae a Delia fidei iniurias ulcisci velit. Quae autem haec puella fuerit, nec ab auctore novimus, neque verum nomen grammatici nobis prodidere. Hanc in suum amorem pulcherrimis quoque carminibus allicere nititur; attamen eam, quippe quae torquibus ornamentis deliciis unice studeat floccique faciat versus, eo in se post etiam annum immitti animo invenit, ut quibus eam amoris oblectamentis mitiorem reddat neque reperit neque amplius excogitare tentat. Ceterum et haec amori Tibulli tandem indulgere debuit; id autem ex Ovidii carmine colligimus, in quo hunc mortuum deflet, et Delia in eo Nemesisque,

*Ovid. III.
Am. 9.*

Altera cura recens, altera primus amor

de munere officioque in amicum mortuum fungendo certatim sibi unaquaeque primas vindicantes inducuntur.

CLXXXVII. Libri vero carminum duo qui restant, in quibus vel Neaera, probris corruptisque moribus puella, vel pusiones aliquot, ut Marathus, ut Tityus, ut Cerinthus laudantur, rebus ipsis et orationis genere bene perpensis, aut falso omnino, aut minus certe Tibullo ascripti videntur. Liber enim tertius Lygdami reapse cuiusdam totus integer est, qui undecim profecto natu minor annis quam Tibullus erat quique Neerae amore tenebatur. A Tibullo poematum quoque illud in Messalam abiudicamus, quod pervolutanti primum in quarto libro occurrit, quodque ad genus potius

*III. Eleg. 5.
17. 18; 2.
29 30*

epicum spectat. Elegos autem, qui post illud in quarto libro ex ordine ad sextum carmen adnumerantur, eos verisimilius Tibullo ascribi posse arbitror; nam Sulpiciae, Messalae neptis, in iis cum Cerintho, ultro citroque epistulis missis, amores narrantur; huius autem Cerinthi natalem diem in carmine quodam, quod in secundo libro continetur, Tibullus certo celebraverat. At carmina breviora, quae ad duodecimum subsequuntur, propter suavitatem, quae animi sensus permovet, eidem Sulpiciae attribuuntur, quod muliebri aliquid et molle in iis deprehenditur. Elegi duo postremi, optimo quidem iure, lectione confecta, Tibullo addicuntur; immo eos, quamvis puellae nomen, ad quam miserit, in nullo versu recurat miserabilium elegorum reliquias censeo eorum, quos illum Horatius in puellam quandam vehementissime amatam, Glyceram, auctor nobis est conscripsisse.

Horat. 1.
Carm. 33.

CLXXXVIII. Tibulli carmina nequaquam omnia amoris sensus canunt, siquidem et poeta erat indole in delicias proclivior, praetereaque ex Alexandrinorum poetarum imitatione promanant, qui amoris formam quandam et speciem prae ceteris rebus potissimam habebant. Non in uno tamen amore perpetuo consistunt. In aliis enim eorum multis laudibus Messalam eiusque filium ad caelum extollit, in aliis vero Romam nomenque « *terris fatale regendis* » magnificat, in aliis denique domesticos animi sensus in matrem, in sororem in amicos, profundit. Alexandrinos autem poetas ita secutus est ut eorum vitia fugeret, ideoque se a fabulis rebusque mythicis enarrandis abstinuit, neque verborum ornamenta dedita opera, ut illi solebant, insectatus est, neque illorum dicendi genus, multo artificio perpolitum et decies centies ad unguem limatum et castigatum est imitatus. Hac scribendi ratione usus non ingravescit in exercitationibus, quae exornandi causa ab auctoribus, quos secutus est, adhibebantur et legentem minime defatigat; quo fit ut in re admodum diversa — non enim pascua rura duces canit — ad Virgilium

Elogi de
rebus variis

proxime accedat. Apud veteres recentioresque criticos et poetas summo semper est Tibullus in honore habitus. Recentioribus omissis non Latinis natione — qui quidem minus benevoli et propensi in Romanorum poetas existimantur — Quintilianus in primis Graecos a Latinis propter Tibulli carmina provocari credit, eundemque tamquam tersum et elegantem auctorem commendat. Item Ovidius eum cultum appellat et eius casum defflet. Quam autem de eo praeclare senserit Horatius in duobus carminibus legi potest, quorum in altero eum ab infideli levique puella Glycera desertum familiarissime solatur, in altero vero iudicem eum iustum et suorum carminum censorem candidum designat.

Quint. X.
Inst. 1. 93.

Ovid. 1. Am.
15. 28.; III. 9.

Horat. 1.
Carm. 33.
L. Epist. 4.

SEX. AURELIUS PROPERTIUS

CLXXXIX. Idem elegorum genus Sex. Aurelius Propertius summa arte tractavit. Quo anno hic natus sit parum constat; natu tamen minorem Tibullo fuisse certum est, Ovidio maiorem. Ceterum quosdam reperio circa annum septingentesimum quintum post conditam Urbem eum natum esse opinari. De eius patria satis superque disceptatum est. Convenit hodie inter omnes fere, reiecta eorum sententia, qui vel Mevaniae vel quoque Ameriae ortum dicunt, eum Assisinatem fuisse, idque ex versibus Propertii eiusdem arguunt:

*Scandentisque Assis consurgit vertice murus
Murus an ingenio notior ille tuo*

A. Eleg. 22. — loquitur enim in his de se ipso sub Hori mathematici cuiusdam persona celatus —. Patrem haud obscuro genere fuisse ex ipso novimus, quem ex versibus his dolore plenis maturius amisisse colligimus:

III. Eleg. 1.
131.

*Ossaque legisti, non illa aetate legenda,
Patris, et in tenues cogeris ipse lares.*

*Nam tua cum multi versarent iura iuveni,
Abstulit excultas pertica tristis opes.*

videlicet ex agrorum distributione, quae post Philippense proelium sub Augusto militibus veteranis facta est, praediis paternis est spoliatus. Sub matris deinceps tutela in maternis aedibus vixit, quoad, toga virili sumpta, Romam venit, ibique cum iuri ediscendo operam navavisset forum attigit; at cum dicendi libertas malis civilibus oppressa esset, inde cessit et in poeticam se contulit, ad quam eum et ingenium et aetatis suae hominum studia alliciebant. In poetarum conventu, qui in hortis Maecenatis in Exquiliis positus cogeatur, tum coepit esse, cum evulgatis quibusdam carminibus innotescere fama coepit. Maecenatis liberalitate adiutus proxime ad huius hortos Romae sibi domicilium constituit. Ibi ad ultimum vitae diem versatus, multis carus et acceptus et gratissimus cuidam nobili genere viro fait, quem sub simulato Galli nomine in suis carminibus occultavit. Iuvenis in ipso aetatis flore, ut videtur, anno septingentesimo undequadragesimo post conditam Romam obiit. Propertium etiam puerum, ut ipse quibusdam in versibus tradit, Veneris sacris Lycinna quaedam initiavit; huius tamen amore aut minus exarsit poeta, aut propter aliam novum — adeo mutabilia hominum stadia — non multo post, libidinibus restinctis, eum contempsit. At Hostiam puellam quandam formosissimam, quam ex vero nomine eius Hostio poetae necessitudine iunctam suspicamur, cupidissime constantissimeque in posterum quoque amavit, eamque, auctore probatissimo in huiusmodi rebus Apuleio, sub ficto Cynthiae nomine, ne ab aequalibus, quae ipsa revera esset, cognosceretur, usque in elegis suis concelebravit.

CLXXXX. Longe alius Propertii amor in Cynthia est quam iucundus ille et tenellus, quo Catullus Lesbiam amavit. Pleni huius elegi sunt sensuum voluptate et quodam amoris furore, et interdum in iis obscenissima loca inveniuntur. His rebus tamen, cum mores eius aetatis essent corruptissimi

I. Eleg. 22.

*IV. Eleg. 1.
135.*

*III. Eleg.
23. 25.*

*Elegi in
Cynthiam*

facti, aequalium cupiditatibus satius indulisit. Quod autem carminibus in scribendis sibi proposuisse testatur,

*Haec urant pueros, haec urant scripta puellas;
Meque Deum clament et mihi sacra ferant*

*Ovid. V.
Trist. 465.*

id profecto facile assecutum esse novimus. Cum enim in libidinibus canendis corporisque voluptatibus describendis esset et robustior et torosior poeta et floridioribus uteretur coloribus, pueros puellasque eo amorum studio effrenorum inflammavit, ut eius carmina minus tuto ab adolescentibus legi posse ipse animadverterit Ovidius. Veneris libidinibus, quae temporis sunt, enervanti fruitur voluptate, quo fit ut amoris aestus canat, qui totum corpus pertentant, quibusque uratur et excrucietur, verbis effingat. Eius amor lacrimis quoque et dolore alitur; nam timet interdum ne amatae pectus amore alio teratur, exalbescit et contremiscit neque curis medicina et remedia, praeter amorem, invenit. At vires eum numquam deficiunt et in movendis affectibus crebrior est ita ut plerumque altius re ipsa insurgere videatur. Ab huiusmodi poesis genere, quae tota in amoribus versatur, quaeque per se et mollis et quasi muliebris est, abhorrent profecto et virilis animus, quo utitur poeta, et dicendi forma, quae interdum nimio vehementior sonat. Hanc ob causam et longe minus Tibullo suavior est et continua lectione fatigat, qui cursim legunt quique minime delectantur eruditione. Criticis eruditisque hominibus non displicet, neque ad senectutem inclinantibus, qui minus sensibus animi nativis moventur, quam artificium sententiarum exprimendarum et elocutionis venaes inquirunt et mirantur; neque amores cupientibus. Neque rei, quae natura sua simplex et tenuis est, proprias addi venaes censeo ab heroum fabulis, quae ornandi causa cum amoribus non ita modice connectuntur, quin redundant. In poeticae eruditionis copia modum adhibendum excedit poeta ut Alexandrinorum eius rei studium altius exageret, nedum

ut aequius sit, cautior vitet; ideoque ex parte hac praeter Latinos ceteros insignis evadit. Neque id mirum est: Callimachum enim in primis poetam Cyraeneum eruditissimum, et Philetam Coum imitandos et in carminibus Latinis exprimendos sibi magistros quasi proposuerat, eosque vero ita magnifico verborum quoque apparatu imitatur, ut dictione pura elegantissimus sit idemque vere Latinus. Spiritus tamen ille ardentior et quasi aestuans nec non eruditio atque heroicam notitia, apta et accommodata carminibus illis videntur, quae de rebus aliis ab amore alienis concinnavit. Quaedam enim alia, praeter amores, de antiquis Latinorum rebus, de urbe Roma, de multiformi mutabilique deo Vertumno, de Tarpeia; deque aliis huiusmodi canit, alia praeterea de bellis ab Augusto bene confectis, de Cornelia matrona Paulli censoris uxore pulchris versibus illustrat.

*IV. Eleg. 1.2.
4.6.9.10; II.;
10; IV., 11.*

CLXXXI. Elegorum, quibus unis usus est, libri quattuor exstant, nequaquam vero omnes, ut videtur, quot ipse confecerit. Etenim a grammaticis quibusdam carminum fragmenta deperditorum alligantur, quae in libris aliis fuisse a poeta collecta opinamur. Elegi igitur qui nunc sunt, omnium hodie consensu, Propertio ut genuini inscribuntur; nam huic adiudicata causa est, quae apud patres nostros, alios genuinum, quartum esse librum affirmantes, alios vero id idem inficientes, multis contrariis hinc inde ratiocinationibus, agebatur. Propertii mentio frequens in veterum scripturis occurrit. In Ovidio, cuius aequalis, ut diximus, fere fuit atque amicissimus, qui eum et blandum et tenerum dicit; tum in Quintiliano, qui aliorum in Propertium ex instituta cum Tibullo comparatione his verbis iudicium refert: « *Sunt qui Propertium malint* » quo in loco Latinorum criticus praestantissimus Romanos elegorum scriptores Graecis certa cum spe vincendi opponi posse contendit; tum a Martiale qui eum facundum vocat, tum denique a Statio et a Lactantio, qui multis eum laudant et commendant verbis.

*Ovid. II.
Trist. 462,
V., 1. 17;
III. Ars.
am. 333.*

*Quint. X.
Inst. 1. 93.*

*Mart. 4. 189;
Stat. I. Silv. 2.
253; Lact. 2. 6.*

P. OVIDIUS NASO.

CLXXXII. P. Ovidius Naso, Sulmonensis, poetarum omnium, qui Augusti aetate floruerunt, minimus natu, facili paratoque quo fuit in poeticam ingenio et carminum numero atque pondere, quae multis de rebus composuit, posteris se saeculis in perpetuum commendavit. Equestri familia, Hirtio et Pansa consulibus, quorum uterque in proelio ad Mutinam interfectus est, Sulmonae, in tertia Pelignorum urbe, editus est anno septingentesimo undecimo post Urbem conditam :

*Editus hic ego sum : nec non ut tempora noris,
Cum cecidit futo consul uterque pari.*

IV. Trist.
10. 5-6.

Ab insignibus magistris parentis cura Romae excultus est, eiusque monitionibus, Musis relictis, oratoriae facultati apud Aurelium Fuscum operam dedit, in qua Seneca illum egregie profecisse testatur. « *Habebat ille* » hic inquit « *comptum et decens et amabile ingenium : oratio eius iam tum nihil aliud poterat videri quam solutum carmen. Adeo autem studiose Latronem audiit, ut multas illius sententias in versus suos transtulerit. In armorum iudicio dixerat Latio : — Mittamus arma in hostes et petamus — Naso dixit : — Arma viri fortis medios mittamus in hostes —* ». Forenses causas, controversias, suasorias cum non sine laude aliqua multas dixisset, sumpta virili toga, itinera in Graeciam in Asiamque cum Aemilio Macro fecit cum eoque Siciliam quoque in reditu visit. Viginti circiter annos natus cum fratre uno anno natu maiore primos aetatis honores assecutus est, fuitque et triumvir capitalis, tum decemvir litibus iudicandis, tum centumvir et privatus quoque iudex. Statim tamen, cum publicorum munerum eum pertaesum esset, se ex natura et institutione mansuetioribus Musis restituit. In poetarum coetum et conventum se insinuavit, ibique Virgilium cognovit, elegantissima

Senec. II.
Controv. 28.

IV. Trist. 10.
33; II., 93.

Horatii carmina ex ipsius ore audivit, Aemilii Macri poemata iudicavit, Propertii elegos fabulis historiisque plenos miratus est, ea autem peculiari cum Tibullo animi naturaeque conspiratione consensit, ut eum sibi, quoad vixit, arctissimo familiaritatis vinculo coniunxerit. Poetriae quoque Perillae, puellae valde doctae, incundissimus fuit, quam ipse poeticam docuerat et ad quam eius exstat nobilis elegia. Ad haec suae aetatis tempora, atque ad adulescentiam cum poematia et carmina spectant « *Amores* » « *Heroides* » « *Ars amatoria* » « *Medicamina faciei* » « *Remedia amoris* » tum fabula quae « *Medea* » inscribitur; ad maturiores vero iuventutis annos praecipua carmina pertinent, quibus « *Metamorphoseon* » et « *Fastorum libri* » continentur.

CLXXXIII. Dum concinnandis fastorum libris Augusto dicandis operam dat, exilio ab ipso imperatore damnatus est. Exilii vero alia ab aliis causa traditur; ipse vero non exulem se dicit sed relegatum potius fatetur. Criticorum sententias de relegationis causa longum est in hunc locum referre omnes; praestet ergo potius eam ex Ovidii ipsius versibus adumbratam eruere, qui sunt in secundo carmine :

*De exilii
causa*

*Perdiderint cum me duo crimina, carmina et error,
Alterius facti culpa silenda mihi ;
Nam non sum tanti, renovem ut vulnera, Caesar,
Quem nimio, plus est indoluisse semel.
Altera pars superest qua turpi crimine factus
Arguor obsceni doctor adulterii.*

*II. Trist.
207. et seqq.*

Haec minus probabilis exilii causa videtur; nam carmina illa, videlicet artem amatoriam non minus undecim annis ante evulgaverat, quam de crimine ipso haud paulo serius profecto poenam tulit. Susplicamur nimirum Augustum id crimen interposuisse, ut in eum ob illam culpam animadverteret, quam silentio Ovidius praetermittendam esse censet « *ne Augusti vulnera renovet* ». Quaenam sunt vulnera ista

silenda? tantane ut, quamvis ea carminibus et laudibus emendare conatus sit, neque ab Augusto, neque a Tiberio, veniam, nedum in Urbem reditum impetraverit? Relegationis causa in rebus absconditis posita sane est. Probabiliores itaque quam ceterae, quae ex monumentis variis afferuntur, duae mihi sententiae videntur. Earum autem altera ex versiculis Sidonii Apollinaris quibusdam eruitur, qui quidem ansam ad exilium ab ipso poeta datam fuisse credit, eo quod sub Corinnae nomine, quam, ut mox dicturi sumus, in carminibus aliis celebravit, neptem Augusti occultaverit. Quam opinionem ipse mihi suadeo. Etenim fuit haec Augusti neptis Iulia corruptis probrosisque in primis moribus, deque eius lasciviis praeter alia, quae apud Suetonium leguntur, haec invenio a Tacito in Annalibus relata: «*neptem Augustus convictam adulterii damnaverat proieceratque in insulam Trimerum haud procul Apulis litoribus. Ibi viginti annos exilium toleravit*». Hoc autem exilium in idem tempus incidit ac Ovidii relegatio. Quod si rationem exilii maximam et, ut ita dicam, magis Augusto ipsi domesticam repetas, id verum esse putes, quod quidam tradunt, nimirum Augustum a poeta minus honeste cum filia sua Iulia iacentem visum esse, quod versiculis significatum esse nonnulli volunt,

Cur aliquid vidi, cur conscia lumina feci?

Cur imprudenti cognita culpa mihi?

Il. Trist. 103.

Et revera fuit haec altera Iulia, eius Iuliae mater, quam mox nominavimus, libidinum avida atque in adulterio deprehensa, ut Augustus eam in insulam Pandatariam relegare conatus sit; Augustus vero, quamquam vitii severissimus ultor, luxuriae satis serviens fuisse traditur. At de hac vexatissima quaestione satis superque. In exilium igitur actus est anno, ut videtur, p. C. n. octavo, in Pontum, Tomos, ibique ad extremum diem versatus est. In exilio ab eo «*Tristia*» composita sunt et «*Epistulae ex Ponto*» et «*Ibis*» et «*Halieutica*»

*Hieron. ad
Olimp. 193.*

*Aurel. Vict.
Epit. l. 24.*

brevia poemata. Cum vero ex longa cum Getis familiaritate, eorum linguam apprime didicisset, poemata duo Getarum sermone exarata composuit, in quorum altero Augusti laudes, Tiberii, Liviae, Drusi, Germanici celebravit ratus fore ut eorum beneficio in patriam tandem revocaretur; in altero autem Cotyos regis in se et Gaetarum benevolentiam magnificavit. Exilii tamen poena, quam haud animo forti vel aequo tulit, ad supremum usque vitae diem non est liberatus, Tomique septimo decimo anno p. Chr. n. obiit. A Tomitanis civibus, propter gratiam et favorem, in quem suis carminibus apud ipsos venerat, peregrinus poeta cum esset, regiis quasi honoribus loco ad Tomi portam frequentissimo tumultus est, monumento insuper in sepulcro publicis impensis exstructo.

CLXXXIV. Iuvenis itaque ex ingenio suo et natura, itemque ex eius aetatis moribus, qui in libidinis studiis prolapsi iacebant, poetarum curriculum, foro ut diximus relicto, tribus elegorum libris iniit, qui «*Amores*» inscribuntur. Mediam in his Propertium inter et Tibullum tenet viam; ad hunc enim iucundi amoris sensu quasi ingenuo castoque interdum accedit; illum vero saepius voluptatibus, fabulis, historiis relatis vel aemulatur, vel superat. Utrumque tamen ingenii volubilitate facilitateque praestat, dicendique genere vinceret si frena adhibuisset et limae studium versuum extemporaliter condendorum facultati accessisset. In maxima istorum elegorum parte Corinnam canit, quae, si Sidonio credendum, simulato nomine, ut fieri solebat, Iuliam, Augusti neptem, celat, quae ex adulescentia libidinosissima fuit. «*Heroides*» quae libro uno continentur, illustrium feminarum amores, epistulis inter amantes missis acceptisque, enarrant. Ad unam et viginti huiusmodi epistulae Ovidio attribui solent; nonnullae vero earum aut translaticiae, aut ab auctoribus aliis suppositiciae sunt, et propter orationis formam poetam aetatis aureae minime decent. Minus omnino poetae clarissimo ter binae illae epistulae conveniunt, quae in postrema

*Amores**Heroides*

libri parte a Paride Helenaque ultro citroque rescriptae simulantur, et quae ad Heron a Leandro aut a Cydippe ad Acontium missae acceptaeque finguntur. Egregia in primis habetur illa, quam Sappho poetriam ad Phaonem scripsisse Ovidius simulat, ut cum eo queratur de amore, quem ille contemnit. Heroum personas, quae in Ovidii heroidum libro inveniuntur, ex poetarum fabulis, ex carminibus epicis tragicisque, ex rebus veris, quae in historiis narrantur, ita promit, itaque novat et immutat, ut amantium species quasdam effingere ipse videatur. Ad pietatem enim querelis, lacrimis, rogationibus usus, quibus amantes inter sese deprecantur, aut irarum copia, furorum, indignationum, in quae heroes et heroinae quoque, quod amantem in se parum fidelem invenerint, facile trahi ab amore sinuntur, vel denique casuum ipsorum immanitatem adhibens, qui ex inopinato illis occurrunt, animum eorum, qui haec legunt, vehementer permovet et exagitat. Atqui in heroidum elegis ficti aliquid deprehenditur, quod in ipso fere dicendi genere insitum videtur; immo parum sinceri aliquid in rebus etiam inest et quasi fucati, quod, cum is qui legit, non verum esse sentiat, sed falsum perpetuo animadvertat, haud parum obstat quominus animus eadem genuina sensuum commotione perfundatur, qua heroes atque nobiles eorum uxores teneri videntur. Haec ceteraque carmina perenni facilique verborum abundantia exornantur, iis coloribus pinguntur, iis numeris et versuum mensuris cum re ipsa congruentibus variantur, ut magnam in nobis Ovidius artis suae admirationem concitet et egregium artificii suis omnibus partibus absolutissimi condat exemplum.

CLXXXV. Ab heroidum elegis atque etiam amorum cum
Ars amatoria re ipsa tum orationis genere potius et forma « *Ars amatoria* » discrepat valde. In hoc enim opere cum amandi totam artem Ovidius tradat, prioribus videlicet libris duobus homines amoris praecepta, quibus modis mulieres in amorem inducant, edocere contendat, in tertio autem erudiat iisdem mulieres

artibus, eius generis poema condit, quod didascalicum dicimus; id enim poeta fatetur, in eius prooemio ait :

*Si quis in hoc artem populo non novit amandi,
Hoc legat et lecto carmine doctus amet,
Arte citae veloque rates remoque moventur :
Arte leves currus : arte regendus amor.*

Rem, quae in hominum animis ab ipsa natura insita latet, quaeque pro cuiusque ingenio alio in aliis variat modo, ac rationem quandam et quasi definitas leges redigi posse credit. Ex fattilibus itaque rebus, aetatis suae, quae suis moribus erat aptissima, ex obscenis dictis, quibus dissoluti homines libidinosaeque puellae in sermonibus alternis utebantur, ex iocis, ineptiis, salibus, quae inter se placendi causa adhibebant, ex adminiculis artibusque, quibus amantes irretire et allicere studebant, poema confecit, quod praeter rem urbanitate distinguitur et festivitate. Turpia, subobscena, flagitiosa, cupiditates venerae, iis sententiis verborumque luminibus dissimulantur atque occultantur ut carmina minus lasciva, ac re ipsa sunt, concinnasse videatur. Hac ratione mirum in modum ex levibus argumentis et minutissimis quasi amoris seminibus, pingue et floridum expressit poema, quod integrum est et omnibus in suo genere numeris expletum, ut rerum huiusmodi canendarum artem ab Apolline didicisse dixeris. Scilicet, ut Musarum patronus, si fama vera refert, saxis lyrae sono collectis, Troiae moenia posuit, ita hic, ordinibus mirifica arte descriptis, in amoenissimo quodam quasi amantium horto, flores multicolores undique contractos, lectissimas arbores, sarmenta, myrtos sevit, unde uberrimae amorum deliciarumque messes provenirent. Rem fabulis quibusquam historiisque variavit, quae magna cum delectatione leguntur. Huiusmodi est locus, in quo ad Sabinas Romuli iussu a *viduis* primis incolis raptas narratione sua devertit. Pulcherrimum quoque Bacchi epithalamium et Ariadnae est,

*Rerum varia-
rum compo-
nendarum
ars*

*lib. I. vers.
111-126.*

Lib. I, vers.
527-564; II.,

21-98; III.,
685-746.

De medica-
mine faciei

Remedia
amoris

Quint. 10.
Inst. I. 98.

quam Theseus abductam Chium in insulam deserit. Elegantissimi etiam versus, quibus Daedalum atque Icarum cereis alis e Creta effugientes describit, vel Procorum exitium narrat. Clamores et admirationes in eius aetatis hominibus poema concitavit, neque iniuria utpote quod morum eorum expressam speciem et imaginem repraesentaverit; at minus gratum Augusto poema fuit, ex quo postea occasionem, ut diximus, ad pellendum Ovidium in exilium arripuit. Quae in arte amatoria de his rebus exponuntur, in poematio, quod « *De medicamine faciei* » inscribitur, explentur et quodam modo perficiuntur. In hoc de fucis adhibendis, de coloribus factitatis inducendis agit, de arte, qua mulieres, faciem, capillos unguentis delibutae, formam colunt et servant. Duos post annos, quam artem amatoriam foras miserat, poematium aliud evulgavit, quod « *Remedia amoris* » inscripsit. Hoc autem ceteris carminibus tum contrario nomine, tum argumento opposuit. Nam Ovidius veritus fortasse ne Augustum, quem in se offensum noverat, iratum quoque sibi experiretur, amoris vulneribus, quae ipse fecerat, mederi voluit, ratus cives gravissime obsceno morbo laborantes medicamentis sapientiae sanari posse. Existimavit nimirum se Achillem alterum esse, qui Mysiae regem, Telephum, eiusdem hastae rubigine sanavit, qua vulneraverat; at in vastissimo libidinum incendio, quod ipse arte praesertim amatoria foverat, aut nemo castum hunc Vestae ignem animadvertit, aut oleum flammae ignique ignem novum adiecit. Amores enim libidinesque ita pro suo ingenio exprobat et damnat, ut magis ea suadere videatur. Huius poematii exstant versus centum, nam ceteri ad quadringentos interciderunt. Intercidit etiam fabula tragica « *Medea* » quam a criticis antiquis valde laudatam legimus; exemplum est iudicium, quod de ea Quintilianus profert: « *Ovidii Medea videtur mihi ostendere quantum ille vir praestare potuerit, si ingenio suo imperare quam indulgere maluisset* ». At de his, quae adulescens scripsit, hactenus.

CLXXXVI. Ad « *Metamorphoseon* » atque « *Fastorum* » libros veniamus, quos eadem, ut mihi videtur, ratione conscribendos arripuit, ut ab amoribus sese tandem abstineret atque maiorem quoque sibi ex rebus altioribus compararet famam. Quindecim igitur *Metamorphoseon* libris heroico versu exaratis deorum heroumque fabulas ita celebravit, ut unum in ordinem eas connecteret, efficeretque ex infinita quasi rerum diversissimarum silva, perpetuum quoddam epicum poema. Ab uno itaque naturae toto in orbe vultu describendo exorditur, quem Chaos veteres dixere, cuius ex rerum elementis dissociatis, quae in unum coacervabantur, concordia pace ligatis, deus melior mundum, terras, mare, coelum, astra creavit, tum arbores, plantas, cetera, quae terra gignuntur, tum et feras et pisces; tum hominem postremo, sanctius his omnibus animal, effinxit. Mutatas deinde deorum, hominum, aliarum rerum formas narratione multis ex diverticulis contexta prosequitur. Caesaris apotheosi ingens poema perbelle concluditur; huic Ovidius vero, quae de diis, de hominibus deque ceteris rebus narrat, subicere videtur. Haec omnia hic enucleare non ita necesse est. Sufficit quaedam, quae in pulcherrimis habentur, numerare, in quorum lectione quo maiore assiduitate versamur eo pulchriora ipsa et egregia magis fiunt. In his celebratissima Daphnes nympphae, Penei fluminis filiae, fabula est, quae quidem puella, cum esset forma praestanti, ob eamque in primis Apollini cara, cum huius vim non posset effugere, implorato patris numine, in arborem illam lauri conversa est, cuius ex ramo coronam gestare tum coepit Apollo. In his quoque altera est, quam primus ementitur Ovidius, qua Pyrami, adolescentis Babylonii, Thisbesque vicinae puellae propter mutuum amorem fidelemque casus moestissimos enarrat. In eorum etiam numero, quae de Andromeda puella deque Perseo felicissimo fortissimoque viro referi. Hic enim cum iter faceret et illam ob matris superbiam in scopulo expositam cetoque devoran-

*Metamorpho-
seon libri*

*Lib. I. vers.
452-567.*

*Lib. IV. vers.
55-166.*

Lib. IV. vers.
668. et seqq.

dam conspexisset, morte liberavit et uxorem legitimam duxit; cum eaque post mortem in caelum translatus in sex viginti stellas conversus est. In illis pulcherrima alia sunt, tabulis pictis simillima, in quibus eadem, quae in locis amatoriae artis quibusdam de Cephali casibus adumbraverat vel de mirifica Daedali Icarique fuga brevius tetigerat, iterum rebus atque verborum coloribus novatis repetit et refert.

Lib. VII.
vers. 665-862.

*Postquam manus ultima coepto
Imposita est, geminas opifex libravit in alas
Ipse suum corpus, motaque pendit in aura.
Instruit et natum, 'medio' que' ut limite curas,
Icare', ait' moneo, ne, si demissior ibis,
Unda gravet pennas, si celsior, ignis adurat.
Inter utrumque vola, neque expectare Bootem
Aut Helicen iubeo strictumque Orionis ense:
Me duce carpe viam', pariter praecepta volandi
Tradit et ignotas umeris accommodat alas.
Inter opus monitusque genae maduere seniles,
Et patriae tremuere manus, dedit oscula nato
Non iterum repetenda suo, pennisque levatus
Ante volat comitique timet, velut ales, ab alto
Quae teneram prolem produxit in aera nido;
Hortaturque sequi, damnosaeque erudit artes
Et movet ipse suas et nati respicit alas.*

Lib. VIII.
vers. 200-216.

Aliis locis Europae, quae a Iove rapitur fabulam narrat, Athamantisque in uxorem Inonem liberosque furorem describit, quem fusius in fastorum libris iterat. Quaedam alia ab aliis mutuatur: a Virgilio Proteum multiformem, a Sophocleis Trachiniis Acheloi de Deianira contendenda cum Hercule pugnam, a Lucretio Virgilioque pestis descriptionem, ab aliis denique alia depromit; attamen, quae desumit, variat ut suum aliquid proprium et genuinum ementiri videatur. Praecipuum ex Ovidianis carminibus hoc poema habetur,

Lib. II. vers.
833-875, 3
IV., 416-562.

quamquam neque ad unguem limatum ipse neque perpolitum existimavit. Hanc ob causam factum est ut, cum sibi renuntiatum esset exsilio esse ab Augusto multatum, in ignem id subiratus comburendum iniceret. Quod exstat ex poetae chirographo amicum quendam transcripsisse verisimile est; et huius beneficio poema flammis ereptum tempora tulit igne infestiora; hoc Ovidius quasi divinans praedixerat:

*Iamque opus exegi, quod nec Iovis ira nec ignis
Nec poterit ferrum nec edax abolere vetustas;
Cum volet, illa dies, quae nil nisi corporis huius
Ius habet, incerti spatium mihi finiat aevi.
Parte tamen meliore mei super alta perennis
Astra ferar, nomemque erit indelebile nostrum.
Quaque patet domitis Romana potentia terris
Ore legar populi, perque omnia saecula fama,
Siquid habentur veri vatium praesagia, vivam.*

Lib. XV.
871-879.

CLXXXVII. In altero poematum, quae in maturitate composuit, occasione oblata quod Augustus in fastis corrigendis elaboraret, dierum festorum originem, deorum cultum religionem, cetera omnia, quae in Pontificum libris, de supplicationibus agendis, de agris in singula anni tempora lustrandis tradebantur, sibi canenda et illustranda proposuit. In quo carmine religioso conficiendo Hesiodicam Theogoniam imitatus est, at a patriis caerimoniis, institutis rationibusque nihil discessit, immo deorum Romanorum cultum iacentem excitavit ad pristinumque honorem revocavit. Ex ratione, quae operi componendo ipsi occasionem praebet, tot libros exigere statuisse videtur, quot menses anni sunt. At cum in exsiliium missus est, sex libros modo qui exstant, conscripserat neque postea exsilio dolore distentus poema explevit, idque inchoatum reliquit. Ex re ipsa atque ex partitione poema «*Fastorum libri*» inscriptum est. In cuius quarto libro natalem diem faustum Urbis ex antiquis fabulis celebrat.

*Fastorum
libri*